

### **QUINTE-CURCE, *Histoires*, III, ch. 1, 13-18 : « Alexandre et le nœud gordien »**

Extrait du manuel de Latin 2de, Hatier Les Belles Lettres, mai 2008 (p. 24)

Alexander, urbe in dicionem suam redacta, Jovis templum intrat. Vehiculum quo Gordium, Midae patrem, vectum esse constabat, aspexit, cultu haud sane a vilioribus vulgatisque usu abhorrens. Notabile erat jugum adstrictum compluribus nodis in semetipsos implicatis et celantibus nexus. Incolis deinde adfirmantibus editam esse oraculo sortem, Asiae potitum, qui inexplicabile vinculum solvisset, cupidus incessit animo sortis ejus explendae. Circa regem erat et Phrygum turba et Macedonum (turba), illa explicatione suspensa, haec sollocita ex temeraria regis fiducia, quippe series vinculorum ita adstricta, ut unde nexus inciperet quove se conderet nec ratione nec visu perspici posset ; solvere adgressus injecerat curam ei ne in omen verteretur irritum inceptum. Ille nequaquam diu luctatus cum latentibus nodis : « Nihil », inquit, « interest quomodo solvantur », gladioque ruptis omnibus loris oraculi sortem vel elusit vel implevit.